



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

7. Adstipulante ipsâmet Synodo Chalcedonensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

Ariminensi actum est. Sic hæresis Nestoriana non solum in Synodo Ephesina, verum etiam in Chalcedonensi & Constantinopolitana iterum, iterumque damnata est; & de una, eademque fidei veritate quam multi Prophetæ vaticinati sunt? num ideo priorum Prophetarum falsa vaticinia, aut dubia, quia alij idem cecinere? Nihil ergo Pontificum auctoritati obstat, quod, quæ ipsi definiuerant, alia Concilia postmodum æquè deciderint, præsertim cum eorum decisiones, nisi Pontificis Romani auctoritas accederet, vanæ irritæque haberentur. Sed quid opus argumentis, quando ex allatis Patrum testimonijs constat, Concilia exequi tantum solita esse Pontificum Decreta, nec illis licuisse aliud pronuntiare, quam Roma præscripsisset? Quæ testimonia sive Dupinus legit, sive non legit, æquè reus est; si enim legit, quantæ pertinaciæ est, agnoscere veritatem, nec tamen admittere? si non legit, quantæ temeritatis scribere, quæ ignoret? Et planè legenti Dupinum palàm est, non aliam ei metam fuisse, quam Maimburgi argumenta (quæ in libello de Privilegijs Ecclesiæ Romanæ recitaverat) excubere. & Latinitati tradere, nullâ interim veritatis aut curâ, aut notitiâ. Sed hæc ex dicendis adhuc clariora evadent.

VII. Anno CCCCXLIX. Celebrata est Synodus Chalcedonensis, cujus occasione non solum auctoritas Romani Pontificis in damnandis etiam extra Concilium Oecumenicum hæreticis, ac statuendis fidei dogmatibus, verum etiam summa Infallibilitas multiformem enituit, multisque testimonijs & exemplis probata est, ut ex dicendis patebit. S. Leo ad Patres Ephesi in causa Eutychetis congregandos: (a) *Fratres nostros Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum nisi, qui vice meâ sancto Conventui interfuit, & communi vobiscum sententiâ, qua Domino sint placitura, constituant. Hoc est, ut primitus pestifero errore damnato etiam de ipsius, qui impudenter erravit, restitutione tractetur, si tamen sensus hæreticos, quibus imperita ejus fuit irrevocata, planè, aperteque propriâ voce & subscriptione damnaverit, quod etiam in Libello, quem ad nos miserat, est professus, spondens per omnia nostram se esse sententiam secuturum. Vides, Leonem jam prædamnâsse extra Concilium hæresin Eutychetis, nec suam jam prius prolatam sententiam Concilij arbitrio aut judicio subicere, sed potiùs & modum, & substantiam*

(a) S. Leo epist. 15.

substantiam, quo procedere debeant, præscribere; num hoc aut Leo faceret, aut Concilium pateretur, si errare Pontifex posset? si infra Concilium esset? nec enim minor majori præscribit, nec is, qui errare non potest, ab eo se doceri, duci & imperari permittit, qui errare potest. Idem S. Leo epistolâ ad Patres Synodi Chalcedonenfis: (a) *Tamen in his Fratribus, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere, qui nunc in Vicarijs meis adsum, & jam dudum fidei Catholica prædicatione non desum, ut, qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Unde Fratres charissimi, rejectâ penitus audaciâ disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi, quod non licet credi; tam secundum Evangelicas veritates, secundum Propheticas voces, Apostolicamque doctrinam plenissimè & lucidissimè per litteras, quas ad B. memoriam Flavianum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis Domini nostri pia & sincera confessio. Si errare Pontifex potest; si Concilio subiectus est, cur non liceat ejus epistolam examini subijcere? cur illi Patres Concilij adstricti sint? quænam ergo sunt notæ Infallibilitatis, si hæ non sunt? & quid amplius præstare Pontifex debet, ut credatur Concilio major, expersque erroris? Dicant adversarij, si quid habent, & si non habent, cedant veritati. Martianus quoque Imperator Oratione ad Concilium habitâ: De cætero autem nemo de nativitate Domini aliud disputare audeat, præter quod Apostolicum prædium trecentorum decem & octo Patrum consonans huic doctrinæ tradidisse noscitur, sicut Sanctissimi Papa Leonis, qui Apostolicum gubernat thronum, ad sanctam memoriam Flavianum testantur littera. Et Valentinianus Imperator epistolâ ad Theodosium: (b) *Fidem, quam à nostris majoribus traditam accepimus, debemus cum omni devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam conservare, quatenus Beatissimus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, cui Principatum super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de Fide ac Sacerdotibus judicandi. Hæc enim gratiâ secundum solemnitatem Conciliorum & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem, quæ orta est de Fide. Et Galla Placidia ad eundem Theodosium Filium: Hæc itaque gratiâ mansuetudo tuarantis malis resistens veritatem immaculatam fidei Catholica Religionis servari præcipiat, ut secundum formam & definitionem Apostolica Sedis in statu Sacerdotij**

D d 2

illa

(a) Leo epist. 47. (b) Extat Tomo 1. Conciliorum ante Concil. Chalced.

*illaso manente, Flaviano ad Concilij (non Oecumenicum, sed Romanum & nationale Italiae, quod Leo Romam indixerat) & Apostolica Sedis iudicium transmittatur, in qua primus ille, qui coelestes claves dignus fuit accipere, Principatum Episcopatus ordinavit. Vides hic iterum, iudicia in causis fidei Romanae Sedi committi, reservarique, & ad illius praescriptum & normam instituenda esse, quae utique summa est Infallibilitatis nota, cum oporteat regulam & normam erroris expertem esse.*

*Næque dicas: Summos Pontifices more aliorum Episcoporum sententias quidem ferre in causis fidei, sed non ultimas, nec infallibiles & peremptorias, has enim Concilio reservari.*

*Respondeo, allata Patrum testimonia nimis esse clara, ut tam inanibus & ridiculis distinctionibus eludi possint. Si enim Pontificum sententiae in causis Fidei non sunt decretoriae, & definitivae, sed solum doctrinales; cur Patres sub poena anathematis eas recipi toto Orbe terrarum jubent? cur illis adstringunt Concilia, nec permittunt in dubium vocari? cur toties protestantur, non valere Conciliorum Decreta, nisi à Pontificibus confirmata? & quænam est censenda ultima & definitiva sententia, quæ nullam aliam expectat, à qua confirmetur? (quales sunt sententiae Romanorum Pontificum) an quæ aliam expectat, à qua necessariò pendeat, quales sunt omnes Sententiae Conciliorum, ut supra ostendimus? Et denique potestatem Romanorum Pontificum causas fidei decidendi Patres in speciali privilegio fundant Cathedræ Petri; at verò iudicium ferre tantum doctrinale, quòdque examinari, corrigique possit, nec prius certum reddatur, quàm Ecclesia illud acceptet, non est speciale Privilegium Sedis Apostolicæ, sed cujuslibet Episcopi, imò & privati Doctoris, Theologiæ utriusque imbuti. Sed age jam alios quòque testes audiamus. Theodoretus epistolâ ad Renatum Cardinalem: (a) *Hac igitur de causa, inquit, tuam oro sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo atque Beatissimo Archiepiscopo Tuo, ut Apostolicâ utatur auctoritate, & precipiat, ad vestrum convolare Concilium. Habet enim Sanctissima illa Sedes omnium per orbem terrarum Ducatum, & Principatum, multis quidem ex causis, præcipuè verò, quòd hæreticæ labe immunis permansit, & nullus, qui contraria sentit veritati, in illa unquam sedit, sed Apostolicam gratiam integram & immaculatam servavit. Quæ enim**

(a) Theodoret. epist. 116. apud Baronium an. 449. n. 124.

à nobis decernuntur, contenti his erimus, & illis acquiescimus, quæcumque illa fuerint, vestro justo iudicio consisti. Si teste Theodoro Primatus Romana Ecclesia præsertim in eo consistit, quod hæreticâ labe immunis permansit, & nullus in ea sedit, qui contraria sensit veritati; sequitur, ut quemadmodum semper penes Romanam Ecclesiam Primatus stetit & stabit, ita etiam semper Romana Sedes, & immunis fuerit, & immunis futura sit ab omni hæresi & errore; in hac enim Immunitate Primatus Pontificis (qui salvâ fide negari non potest) teste Theodoro consistit; sed hic Primatus est perpetuus, ergo etiam perpetua ea Immunitas. Illud quôque insigniter ostendit, quàm præcipuæ sint partes Romani Pontificis in damnandis hæresibus, multo que supra Concilium; quod cum in Synodo Chalcedonensi omnium Patrum suffragio formula & confessio fidei contra hæreses Eutychetis contexta esset, eamque pertinacissimè Patres defenderent, adeo ut contentâ voce clamarent: (a) *Definitio omnibus placet, hæc Fides Patrum, qui aliter sentit, anathema sit; altera Definitio non sit;* Legati nihilominus Romani Pontificis eam semper respuerunt (quod videlicet non omnino Leonis epistolæ consentanea esset) parati Concilium dissolvere, ac re infectâ Romam reverti: *Si enim, inquebant, non consentit Epistola Apostolica, & Beatissimi Viri Papæ Leonis, jubete nobis rescriptam dari, ut reverentiamur.* Ipsi quôque Concilij Judices: *Ergo addite Definitioni secundum iudicium Sanctissimi Papæ nostri Leonis, duas esse naturas unitas in Christo inconvertibiliter, inseparabiliter & inconfuse.* Assenserunt Patres, aliâque Fidei formulam ex præscripto Leonis ediderunt. Quæro jam, quid aptius & efficacius dici possit pro superioritate Pontificis supra Concilium, proque ejus Infallibilitate? Si Pontifex Concilio subiectus est, cur imperat, non obsequitur? cur cogit? cur præscribit? & si non patitur, Patres Concilij aliter in rebus fidei loqui aut scribere, quàm ipse loquatur & scribat; quantò minùs pateretur, aliter sentire, aliter credere? Denique S. Gelasius Pp. opusc. de anathemate: *Cognoscant igitur illud (Concilium videlicet Chalcedonense) secundum Scripturas sanctas, traditionemque Conciliorum pro fide communi & veritate Catholica, & Apostolica, pro qua hanc fieri formam Sedes Apostolica delegavit, factamque firmavit, à tota Ecclesia indubitanter admitti; alia autem, quæ Sedes Apostolica nullatenus delegavit, mox à vicarijs Sedis Apostolica*

Dd 3

(a) Acta Conc. Chalced. act. 5.

*lica contradicta manifestum.* Quid clarius dici poterat? Nihil videlicet in Concilijs etiam Oecumenicis definita valere, nisi à Sede Apostolica prius præscripta fuerint, & postea confirmata.

*Obijcies I.* Sophronius (a) ex S. Gregorio narrat, Leonem cum epistolam dogmaticam contra Eutycheten, & Nestorium scripserit, eam Apostolorum tumulo cum his verbis imposuisse: *Si quid ut homo, vel minus caute posui, Tu, cui à Domino Salvatore nostro hæc Sedes commissa est, emenda.* Post quatuor verò dies, quos inter preces & vigiliis consumpserat, Apostolum apparuisse ac dixisse: *Legi & emendavi.* Quam cum Leo aperuisset, legissetque, *Apostolicâ manu emendatam invenisse.* Nisi ergo Petrus emendasset, Leo in rebus fidei tradendis errasset; cur ergo non possint alij Pontifices errare, doctrinâ & pietate Leone inferiores, & quorum epistolas non solet Petrus emendare?

*Resp.* Prius oporteret istarum visionum veritatem ostendi, quam ex illis argumentari; nec enim potest esse certa, & necessaria consequentia ex incertis, dubijsque principijs: & nos certa, non dubia quærimus, nec ex visionibus, sed ex traditione, Patrumque doctrina argumenta petimus; mirumque est S. Leonem nihil de hac Petri emendatione dixisse, quo fidem epistolæ suæ adstrueret; fuissetque operæ pretium, quando videlicet Eutychiani eandem epistolam corruperunt, adeo ut Nestorianismum redolere, multisque in Ecclesia Alexandrina suspecta hæresis videretur; quæ causâ fuit, ut B. Leo (b) datis ad Martianum literis Imperatorem rogaverit, curaret epistolam suam fideliter in Græcam linguam transferri. Sed demus, hanc visionem certam esse; quis nescit potuisse emendari epistolam, non quod errorem aliquem fidei contineret, sed quia tamen mysterium aut non plenè, aut non clarè, aut verbis mysterio imparibus explicabat? nam & domum, & imaginem, & faciem emendamus, integrâ, nec mutatâ substantiâ. Imò hoc ipsum ostendit, quantâ, quamque speciali providentiâ DEUS Pontificio calamo moderetur, ut quantumvis humano aliquo errore tangatur, non permittat tamen, eum in Ecclesiæ perniciem vulgari, sed illum quovis modo emendet, seu miraculo, seu speciali revelatione, qualis & Petri fuit, de quo Christus: *Beatus es*

Si-

(a) Sophron. Prato spir. 147. (b) S. Leo epist. 69. Baron. ad ann. 454.

*Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et Caiphæ Summi Sacerdotis, qui licet impiissimus, & in ipso procinctu flagrantis Deicidij, prophetavit tamen privilegio Pontificatus. Prophetavit, inquit Evangelista, quia Pontifex erat anni illius. Si prophetavit Caiphæ, quanto magis prophetabit Innocentius, prophetabit Alexander, ubi non de occidendo DEO, sed fide stabilienda agitur?*

*Objicitur II. Epistola Dogmatica S. Leonis à multis impugnata est, nec prius admittitur, quam post longum examen; id enim S. Leo testatur epistolâ ad Theodoretum: (a) Gloriamur, inquit, in Domino, qui nullum nos in nostris Fratibus detrimentum sustinere permisit, sed quæ nostro prius ministerio desinverat, universa Fraternalitatis irretractabili firmavit assensu, ut verè à se prodixisse ostenderet, quod prius à prima Sede firmatum totius Christiani Orbis iudicium recepisset. Nam ne altarum Sedium consensus assentationis esse videretur, inventi prius sunt, qui de nostris iudicijs ambigerent. Et dum nonnulli à Dissensionis incitati auctore ad contradictionis bella profiliunt, ad majus bonum malum ejus perventum est. Ipsa quoque veritas clarius enitescit, dum, quæ fides prius docuerat, postea examinatio confirmat. Multum denique Sacerdotalis officij merum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Si ergo doctrina Leonis, quam in Dogmatica sua epistola expresserat, in dubium & ad examen vocata est, sequitur, quòd non crediderint Patres, Leonem errare non posse; quis enim rem certam examinet? Sic etiam Eusebius Mediolanensis Episcopus coactâ Synodo eandem epistolam ad normam Traditionis exegit; sic enim ad Leonem scribit: Recitatâ epistolâ, quam ad Orientem Sanctitas vestra transmiserat, claruit, eam Prophetarum assertionibus, Evangelicis auctoritatibus, Apostolica doctrina testimonijs, omnibusque sensibus convenire, quos Beatus Ambrosius suis libris inseruit. Ex his Alexander Natalis concludit, (b) summi quidem Pontificis partes esse: Ut causas fidei ad Synodum referat, ut formam edendæ Definitionis in causa fidei concipiat, ut in fide, & pace Ecclesiarum constituenda à sacris scripturis, à Canonibus, à traditione majorum nullo pacto discedat; quod, utrum ita se habeat, expendere partes Concilij erunt, & ita non prius Decreta Pontificum rata & certa esse, quam à Concilio confirmentur.*

*Resp.*

(a) S. Leo epist. 65. (b) Alex Natal. ad Seculum V. Dissert. 12.

*Resp.* Hæc Obiectio multa complectitur, quæ sigillatim sunt examinanda. *Primò.* *Epistola*, inquit, *Leonis*, *diu multumque prius examinata est, quam reciperetur.* Esto; sed nego, omne examen, omnemque disputationem esse de re incerta, dubiæque. Quanto studio, quantisque disputationibus sacras litteras examinamus, earumque mysteria discutimus, ac innumeris objectionibus exercemus? Num idem incertæ veritatis sunt, & qui illas dictavit Spiritus S. errori obnoxius est? Et Christus Joannis 5. *Scrutamini scripturas, & illa sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Num verba & prædicatio Christi dubiæ fidei, quia eorum veritas ad testimonia Prophetarum examinanda erat? Quàm multis, variisque instrumentis Astrologi Solis, Lunæque cursum, & ecclypses examinant, observantque? num idem de Solis existentia, motu, umbræque ambigui sunt? Non ergo sequitur, ut, quidquid examini subicitur, mox sit incertum, & dubiæ fidei; aliqua enim examinamus, quia licet vera, falsis tamen aliunde suggestis admixta sunt; sic aurum igne examinatur, ut à fæcibus purgetur; alia examinamus, quia licet vera, nobis tamen obscura sunt. Utrumque accidit epistolæ Dogmaticæ Leonis; nam ut supra diximus, Eurychiani eam corruperant, & Nestorianismo miscuerant, ne fidem mereretur. Rursus quia Latino idiomate, cujus plerique in Synodo Patres ignari erant, concepta, à quàm plurimis malè intelligebatur, adeo ut Romanis Legatis ei explicandæ sudandum fuerit; quàm primùm verò explicata est, omnium vota promeruit, nullo examine, nullo conflictu consensum morante. Id ita esse patet ex actis Concilij; eum Palestinæ, & Illyrici Episcopi ignorantia linguæ aliqua in epistola Leonis non intelligerent, & idem consensum suspenderent, tandem edocti industriâ Legatorum sic locuti sunt: *Factum est autem nobis certum de epistola missa ab ipsius Beatitudine à sanctissimis Episcopis Paschasino, Lucentio, qui nobis dilucidaverunt, quæ obscuritas linguæ fecerere subnotabat.* Quæro igitur, si linguam Syriacam ignorantem Evangelium Syriacè conscriptum exhiberem, peteremque, ut continuò assensum suum præberet, is verò differret, ignorantiam linguæ causatus; an propterea dicendus esset de Evangelij veritate dubitare? Non ergo epistola Leonis examinata est, ex qua parte Leonis erat, sed ex qua parte aut ab Eurychianis corrupta,

aut



aut à Græcis malè intellecta imperitiâ sermonis; alioquin de illius veritate nullam dubitandi, disputandique rationem fuisse tam certum est, ut nihil certius esse possit; sic enim ipse Leo epist. 45. ad Synodum: *Fratres charissimi, rejectâ penitus audaciâ disputandi non liceat defendi, quod non licet credi, cum secundum Evangelicas auctoritates plenissimè & lucidissimè per litteras, quas ad Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis pia & sincera confessio.* Et epistolâ 33. ad Pulcheriam Augustam: *Simplex est, & absolutum quod poscunt, ut remoto longarum disputationum labore Cyrilli epistola acquiescat, & epistola mee, quæ ad Flavianum Episcopum est directâ, consentiat, quia & mea, & Sanctorum Patrum concors & una confessio est, quam si quis existimaverit non sequendam, ipse se à compage Catholica Unitatis absindit.* Et actione 1. Concilij Chalcedonenis Lucentius Legatus: *Quoniam Sancta memoria Flaviani fides concordat cum Apostolica Sede, & Patrum traditione, sententiam, quâ illum ab hæreticis constat esse damnatum, in eos retorqueri à sancta Synodo necesse est.* Et actione 2. Cecropius Sebastopolitanus: *Emerferunt, quæ ad Eutychem pertinebant, & super ijs forma data est à sanctissimo Episcopo Romana Urbis, & epistola omnes subscripsimus; Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Omnes ista dicimus.* Et actione 4. Sedis Apostolicæ Legatus: *Manifestum est, nec poterit dubitari, unam Fidem Beati Papa Leonis cum trecentorum decem & octo Patrum apud Nicæam concordare, &c.* Ex his aliisque, quæ prolixè in medium adduci possent, clarissimum est, epistolam Leonis hujusmodi fuisse, ut nullus Catholicorum de ejus veritate dubitaverit, præsertim postquam obscuræ quædam sententiæ ob ignorantiam Latinæ linguæ à Romanis Legatis explicatæ sunt. Quòd verò Monachi quidam Eutychiani, adeoque hæretici Leonis epistolæ subscribere noluerint, nihil causæ nostræ officit; nec enim contendimus, Infallibilitatem Pontificis apud hæreticos certam esse, sed apud Catholicos tantum. Imò illi ipsi, qui epistolam Leonis in dubium vocabant, renuebantque illi subscribere, æquè Concilij Decreta in dubium vocabant, æquè adversabantur, æquè cum sacris Concilij Nicæni Canonibus conferri volebant; cum enim Patres sæpè decrevissent, Leonis epistolam recipiendam esse, quique ei subscribere nollet, anathemate feriendum, hæresisque notandum; pergebant tamen oblatrare, adversarique.

E e

est,

est, quia aliqui circa ejus epistolam conflictabantur; æquè infallibilitas Concilij neganda erit, cum istius Decreta ab illis ipsis respuerentur, qui Pontificiam epistolam respuebant, ut videre est torâ ferè actione 4. Et idè hujusmodi concertationes & dubitationes tam S. Leo loco citato in Objectione, quàm Patres Concilij actione 4. *A spiritu malo contradictionis & hæresis profectas esse dicunt.* Pater ergo hoc Alexandri argumentum quàm multis ex capitibus invalidum & inerme sit. *Secundò.* In præfata Objectione opponitur, epistolam Leonis fuisse collatam ab Eusebio Episcopo Mediolanensi aliisque, cum Sanctorum Patrum testimonijs & doctrina, cumque Decretis Concilij Nicæni, & tunc primùm receptam esse, cum palàm fuit, eam nihil antiquæ doctrinæ adversum complecti; atqui nullâ collatione opus erat, si credebant, Leonem errare non posse.

*Resp.* Hæc Objectio non minùs Concilij Infallibilitatem, quàm Pontificis impugnat, nam & Concilij Chalcedonensis Decreta fuisse cum Decretis Nicænæ Synodi, Sanctorumque Patrum doctrina ab Episcopis collata, & idè recepta, quia doctrinæ Patrum consentanea reperiebantur, innumeris ferè testimonijs ostendi posset; aliqua tantùm libabimus, Episcopi Europæ sic ad Leonem Imperatorem loquuntur: *Chalcedone collectum magnum & Universale Concilium, eò quòd prædicta Concilia ( Nicænum videl. Ephesium, & Constantinopolitanum ) firmaverit, nihilque commoverit, ne augmentum vel detrimentum fecerit, aut quidquam quæ tunc fuerunt definita commoverit, aut aliquid incongruenter interpretatum sit. Servamus &c.* Vides hic, Decreta Concilij Chalcedonensis cum Decretis aliarum Synodorum fuisse collata, & idè ab Episcopis Europæ recepta, quòd cum Decretis Nicænæ, Constantinopolitanæ & Ephesinæ Synodorum concordarent; an propterea dicendum erit, Decreta Concilij Universalis incertæ fidei esse, nec priùs obligare, quàm à nobis cum sacris Scripturis, Patrumque traditione collata fuerint? Audi etiam Stephanum Episcopum epistolâ ad Leonem Imperatorem, quæ habetur post acta Concilij Chalcedonensis: *Tanti & talis Concilij ( Chalcedonensis videl. ) amplectere judicium serenissime & Orthodoxe Imperator, tales namque sapuisse comperimus omnes, qui verbo & doctrinâ DEO placuerunt, id est, Beatus Athanasius, sic & Basilius magnus, & Gregorius*

Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nissa, & Joannes Constantinopolitanus, verborum simul & cogitationum pelagus benedictum. En tibi Concilij Chalcedonensis recipiendi rationes, quia videlicet Athanasio, Basilio, aliisque consentit; quid si ergo non consentiret? num ided erraret? num ided arbitrio nostro stabit, Decreta Concilij Universalis cum doctrina Athanasij, aliorumque Patrum conferre, & si cum illa consentire videantur, recipere, sin minus, respuere? Sicut ergo hæc Collatio Decretorum Concilij cum doctrina Patrum nihil nocet Infallibilitati Conciliorum; ita etiam nihil nocet Infallibilitati Pontificum. *Ad quid ergo hæc collatio, si constat, Pontificem falli non posse? cur aurum lydio lapide exploras, si constat, aurum esse?* Respondeo, quia lumen lumini additum majorem lucem & claritatem affert, redditque objectum magis magisque visendum; quoties duas faces accendimus, cum una sufficiat? ipsa fidei mysteria, quoties parabolis, similitudinibus, & argumentis è Philolophia petitis illustrantur, quamvis certa, quamvis indubitata? num ided major Philolophiæ, quàm fidei certitudo? nutriunt hæc fidem, si non pariunt. Deinde Concilia & Pontificum Decreta non solum fidelibus, sed etiam infidelibus & hæreticis scribuntur, istos ut sanent, illos ut confirment; ergo ut etiam hæreticos convincant, rationibus munienda sunt, quas etiam hæretici capiant; tales sunt, quæ à scripturis & Patribus ac Synodis petuntur, olim & ab omnibus receptis. Novit aurifex, quid sit aurum, ignoro ego; mihi ergo, non illi Lydius admovetur. Meritò igitur, cum Eutychiani, sicut omnes æquè hæretici Leonis Papæ epistolam, & Concilij Decreta respuerent, ad scripturas, ad Synodum Nicænam, ad Patres revocabantur; alioquin veris Catholicis nullam fuisse de Leonis epistola rationem dubitandi, adeoque nullam examinandi necessitatem ex dictis certum est, & audiri adhuc possunt acta Chalcedonensis Synodi; nam actione 4. Paschasinus dixit: *Manifestum est, nec poterit dubitari, fidem Beatissimi Papæ Leonis cum trecentorum Patrum concordare &c.* Et S. Leo epist. ad Leonem Imperatorem, quæ habetur post acta Concilij Chalcedonensis: *Licet ea, quæ à Sede Apostolica judicata sunt, sufficerent, insidias tamen hæreticorum etiam hæc, quæ sunt adjecta, reserabunt.* Ubi vides, sufficere quidem in causis fidei Apostolicæ Sedis judicium: Sed tamen convincendis hæreticis Patrum quoque suffragia ad-

mitti. Tertio. Concludit P. Alexander, Pontificum Decreta in causis fidei non prius rata & certa esse, quam à Concilio confirmantur.

Resp. Tam falsa hæc est Conclusio, quam falsa sunt principia, ex quibus illa deducitur, & quæ jam supra confutavimus. Imò tantum abest, ut Decreta Pontificum à Concilio confirmari debeant, ut potius certissima sit regula, & millies à Patribus repetita, videlicet: *Concilia à Pontifice Romano non confirmata nullius valoris esse.* Et id ipsum confirmant, quæ de Concilio Chalcedonensi hætenus dicta sunt, videl. *Leonem præscripsisse Concilio, quid definiiri, quid non definiiri oporteret; Concilij Decreta alia confirmasse, alia improbasse; in causis Fidei sufficere Pontificis Rom. sententiam.* Quòd si Pontificis Decreta non prius valida & rata sunt, quam à Concilio Oecumenico confirmantur, quid rogo plus habent Decretis cujuslibet Episcopi? & ubi est illud tam à Patribus declamatum Romanæ Sedis privilegium in causis fidei decidendis? Et hæc sufficiant pro Infallibilitate Pontificis ex Chalcedonensi Concilio excerpta.

VIII. Anno CCCCLXXXIII. Prorupit hæresis Petri Cnaphæi, qui non solum Eutychianus hæreticus, sed etiam Apollinarista, atque Sabellianus erat, sicque ob hæresin ex tribus hæresibus conflata meritò Hæresiarcha appellatus est; hunc à Felice III. in Synodo Romana damnatum esse, totaque Ecclesiâ proscriptum, & simul insigne Infallibilitatis Romanæ argumentum editum esse ex sequentibus patebit. Evagrius hæc habet: (a) *Mittuntur à Felice ad Zenonem Imperatorem Vitalis, & Misenus Episcopi, ut ejus auctoritate Concilium Chalcedonense firmarent, tum Petrus ut hæreticus Episcopatu pelleretur, tum denique Acacius mitteretur ad ipsum Felicem, rationem de rebus, quas Joannes ei objectasset, redditurus.* Idem Evagrius cap. 20. (b) *Quod quidem Romanum Concilium, quæ sequuntur, de Petro pronunciavit: Petrum hæreticum jam pridem sententiâ sacrae Sedis Apostolicae condemnatum, interdictum Ecclesiâ, & anathemate multatum Ecclesia Romana non recipit.* Et ipsa Synodus Romana: (c) *Successor Præsulum Sedis Apostolicae caput est omnium, Domino ad B. Petrum Apostolum dicente: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; quam vocem sequentes sancti Patres apud Nicæam congregati confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt, quam utramque usque ad ætatem nostram successiones omnes Christi gratiâ*

(a) Evag. lib. 3. cap. 18. (b) Idem l. 3. c. 20. (c) Inter epistolas Felicis epist. 4.